

*cissimo cursu quasi incitari; Nunc vero ita retardari, ut ne mouerentur quidem existimentur, sed in eodem prorsus cæli loco consistere; Nunc deniq; in septentrionem excurrere; Nunc in meridiem; De qua re plura in Theoricis planetarum exponuntur. Hanc igitur ob causam ita hæc stelle in cælo oberrare videntur, ut casu quodam, ac fato agi iudicentur; Qua propter ab Astronomis Planetæ nuncupantur.*

SECUNDVM accidens autem diuiditur in spheram rectam, & spheram obliquam. Illi autem dicuntur habere spheram rectam, qui manent sub Æquinoctiali, si aliquis ibi manere possit. Et dicitur eis recta, quia neuter polorum magis altero illis eleuatur: Vel quoniam eorum Horizon interfecat Æquinoctialem, & interfecatur ab eodem ad angulos rectos sphaerales. Illi vero dicuntur habere spheram obliquam, quicumq; habitant citra Æquinoctialem, vel ultra. Illis enim supra Horizontem alter polorum semper eleuatur, alter vero semper deprimitur: Vel quoniam illorum Horizon artificialis interfecat Æquinoctialem, & interfecatur ab eodem, ad angulos impares, & obliquos.

## COMMENTARIVS.

DIVIDIT iam spheram secundum accidens in spheram rectam, & obliquam. Sed quoniam ea, quæ in hac diuisione dicuntur, & quæ deinceps sequuntur, intelligi non possunt, nisi prius quidam circuli sphaerae cognoscantur, quorum in sequentibus frequenter fit mentio; Opere pretium me facturum puto, si breuiter, & generatim circulos sphaerae explicauero, plura de illis, eorumq; officijs, nominibusq; in 2. Cap. disputaturus, vbi de eisdem differit auctor; Nunc enim tantum rudi minerva vocabula circulorum exponam.

## DE CIRCVLIS SPHÆRÆ.



CIRCULI sphaerae sunt 10. quorū hæc sunt nomina. Æquinoctialis, Zodiacus, Colurus solstitiorū, Colurus æquinoctiorū, Meridianus, Horizon, Tropicus Cancrī, Tropicus Capricornī, Circulus arcticus, & Circulus antarcticus. Priores sex, maio-